

DE MODO PROCEDENDI CONTRA ILLOS QUI DICERENT SE CONDEMNPNATOS INDEBITE PER CONSULES ET ESSENT IUSTE CONDEMPNATI.

Statutum est, quod si quis de arte predicta fuerit per rectores huius artis condempnatus in aliqua pecunie quantitate, et de ipsa condempnatione vel occasione ipsius querelam fecerit vel fieri fecerit penes potestatem vel capitaneum vel aliquem alium iudicem seu officialem communis Florentie de ipsis rectoribus vel eorum notario, possint et debeant ipsi rectores pro tempore existentes talem condempnationem defendere et querele et querelanti resistere et procuratores et advocatos ad hoc eligere et habere sumptibus dicte artis, sicut ipsis rectoribus videbitur convenire. Et si querela reperiretur inrationabilis ex parte conquerentis, rectores possint et debeant huiusmodi conquerentem condempnare in duplo eius quantitatis, in qua prius erat condempnatus, et hec extendantur ad preterita, presentia et futura.

*Statuto dell'Arte dei Rigattieri* (1296), in *Statuti dell'Arte dei Rigattieri e Linaioli di Firenze (1296-1340)*, a cura di Ferdinando Sartini, Firenze, Le Monnier – R° Deputazione di Storia Patria per la Toscana, 1940 (Fonti e Studi sulle Corporazioni Artigiane del Medio Evo; Fonti II), p. 33.